

26

DISSE^RTAT^O IN AVG^RALIS MEDICA

DE
SPASMO IN GENERE

QVAM
AVSPICE SVMMO NVMINE
ET CONSENSV
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA

SVB PRAESIDIO
DN.D. HERMANNI PAVLI JVCH

SACRI PALAT. CAES. COMITIS
FACVLTAT. MEDIC. SENIORIS PATHOL. ATQVE PRAX PROF. PVBL. ET
ADSESSORIS PRIMARII SERENISS SAXON. DVCVM VINARIENSIS
ET GOTHANI CONSILARIJ AVLICI ET ARCHIATRI
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS.
COLLEGAE

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILE-
GIIS LEGITIME CONSEQVENDIS.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOHANNES ERNESTVS GRAFF
RENDELIO. WETTERAVIVS.

IN AUDITORIO MAIORI COLLEGII MAI. HOR. CONSVET.

D. III. MAI. MDCCCLV.

ERFORDIAE,
Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN VAGABUNDIS MEDICIS

DS

SPASMO IN GENRE

VASCICIS ET MUSCIS MIRIS

AT CONVULSI

CERATOSYBECACITATIS MEDICIS

IN SPASMO VAGABUNDIS MEDICIS

ET VASCICIS

DINDHEMUNNENHIC

PROGRADA DOCTORIS

ET VASCICIS ET MUSCIS MIRIS



lentibus oris invenimus estidic seruit cupit. Unde
la. Et propter hanc frustulam inservit nos omnis etiam oculo
omn. et aliisque sensibus quod in multis filiis si potius in unius
omnibus in. autem illa in. S. I.

A ntequam ad spasmus ipsum explicandum
me accingam, prius muscularum fabrica
ex anatomicis repetenda est, quo eo distin-
ctius horum actio naturalis & præternatu-
ralis intelligi possit. Ut vero haec eo accuratius pa-
teant, antea fibræ simplicis corporis humani fabricam
præmittere placet.

S. II.

Est vero fibra simplex s. fibrilla, particula mini-
ma solida secundum longitudinem extensa; & fibra
pars corporis humani solida ex fibrillis composita.
Tenuissima haec ac teretia fila ex particulis tantummo-
do terrestribus mediante glutine quodam inter se co-
harentibus, constant, id quod unico probari potest ex-
perimento, quod ita se habet. Si varia corporis hu-
mani solida comburimus & calcinamus, deprehende-
mus eis pristinam constare figuram & terrestres ea-
rum moleculas aliam alii manere perinde ac antea con-
tiguas, sola earum cohaesione pereunte, quam tamen
illis illico restituere valemus, simul atque ejusmodi fi-
bris, quarum terrea corpuscula mutuo suo nexu ab

exustione omnino fuerant exsoluta, determinatam aquæ vel olei copiam addimus.

§. III.

Quum itaque partes solidæ combustæ aqua vel oleo illis affuso cohæsionem pristinam impetrent, & id jure meritoque caussâ alicujus effectus reputetur, quo posito statim & semper ponitur effectus, in confessio erit, non posse ullum aliud nisi aqua vel oleum in simplicibus fibris existere caussam cohærentiæ. Quo hæc clariora evadant, ex physicis hic inferendum est, particularum minimarum corporis cujuscunque cohæsionem eo majorem esse, quo pluribus sese contactus punctis contingunt; contingent autem sese mutuo punctis numerosioribus quo plus massæ continent, hoc est, quo plus materiæ, supposita eadem qua antea utebantur magnitudine, complectuntur, ex dictorum corporis particularum pondere seu gravitate specifica æstimanda. Jam vero cum fibrarum ultimarum primordia esse dixerim mere terrea, omnis vero terra quod natura admodum friabilis, valde porosa esse & in superficie aspera videatur, nihil fere dubii est, quin hæc etiam terrea fibrarum elementa ejusmodi sint. Sed quum ejusmodi corporum deprehendatur mutuus nexus admodum infirmus, quia paucis durat taxat sese contingunt punctis, intellectu facile est, nec terreo-rum istorum elementorum, quæ fibræ minimæ fundamentum ponunt cohærentiam futuram esse satis firum, nisi numerus punctorum contactus iis augeretur. Natura igitur provida ut terrestria hæc primordia mutuos amplexus implicarent arctiores, iis pro-
spexit

spexit gluten, quoddam nēmpē aquam & oleum, quod
scabram eorum superficiem complanat, lavigatque,
quo iisdem hac ratione longe plura contactus puncta
conciliantur, quibus vero geminatis & multiplicatis
ipsa quoque hæc fibræ minimæ corpuscula se arctius
inter se esse complexura, inque arctiorem cohærenti-
am ventura, non sane ullius est dubitationis.

§. IV.

Cum igitur omnes corporis humani partes solidae ex talibus fibris conflatae esse deprehendantur, fibra vero muscularis differat a fibra simplici, differentia illa quæ fibram simplicem & musculararem intercedit nunc indicanda venit. Quam difficile vero sit hanc differentiam indicare ex anatomicorum scriptis patet. Quidam enim hanc, alii iterum aliam tradunt harum fibrarum structuram, & licet in hac detegenda multum sudauerint, eandem tamen nondum ita detegere potuerunt, ut nihil dubitationis de hujus structura restaret. Quoniam igitur hæc ita sint, a me nemo expectabit, ut fibræ motricis interiores recessus ipsi velut reclusos exhibeam, & illius oculis subjiciam spestantos, declarando, qua ratione liquidorum in eos ilapsi ejusmodi fibras in rugas plicare & contractio nem reddere, brevi postea vero remittere & porrectionem rursus longioremq; favere valeat: hoc enim altius est majusque quidquam, quam ut perspicere multo minus explicare valeamus, fibræ carneæ interioribus nondum ita videndi nostro sensui patefactis, ut nobis id dilucide & perspicue expedire conaturis, necesse esset.

A 3

§. V.

homo musculo & cutiupte §. V. rachibori. acutis. 20.
Ne igitur fibræ motricis fabricam contemplatur errore implicemur, quod de ea tam variaz tamque dissidentes esse cognoscantur opiniones, ut perspicere quid in unaquaque earum verum sit sincerumque summae certe sit difficultatis in fibra hac detegenda perspicacissimi Boerhaavii vestigiis infistere mihi placitum est, quippe qui omnium optime illam, quantumvis modo conjectura tamen vero simillima videtur esse asequutus. Neque hoc unquam mirum videri poterit, dummodo ipsem et eiusmodi fibras motrices unquam propius inspexerit altiusque, utpote quarum tam incredibilis esse deprehenditur exiguitas, ut nec ullius oculis unquam tam acerrimas fuerit videndi sensus, qui singulas hujusmodi fibras consequi & eruere potuisset. Quodsi enim musculi cujuscunque fibratum dissolveris contextum, cum semper quoisque etiam diffindendo & separando porrexis, in fasciculos alios atque alios deinceps minores exilioresque dividet, a toto musculo, cui intexti sunt nihil omnino ablidentes: quia æque ac totus, cuius nexus extoluti sunt musculus suo ipsius ventre carneo, tendinibus & cellulosa vagina utuntur. Quos minores si pari ratione retexere perseveraveris, eos deniq; nunquam non in alios quidem sensim sensimque minutiores tandemque minimos itidem dehisce spectabis, tamen pariter toti musculo simillimos; unusquisque enim illorum rursum ex fibris multo minutioribus constabit, pariter sua ipsius tela retis in modum, ex omni varietate vasorum contexta, involutis. Et quanquam has quaque

muscu-

musculares fibras similiter suo mutuo nexu exsolvere tentaveris, non tamen sine magna animadvertes admiratione, vel eas ex inumerabilibus aliis longe exiguioribus esse adhuc in ejusmodi fasciculos coactas & celluloso quodam involucro circumseptas, tantum abest ut ultimae forent. Ac profecto quounque etiam in fibris hisce alia ab alia disjungendis fueris progressus, non tamen unquam singulares fibras motrices oculis reprehendere tibi integrum erit. Quum vero omnis in infinitum progressus per se absurdus sit, ipsa sana ratio finem quoque eorum ac terminum dictitat. Ultima ergo haec fibra in alias carneas non amplius dividua, illa est quam muscularis nomine appellare soleamus; nec quisquam dubii est, quin similiter ac totus musculus suo ventre & tendineis extremitatibus fuerit instructa.

§. VI.

Varias quoque fovent autores sententias ad ordinum harum fibrarum muscularium declarandum. Quidam enim illorum eas ab arteriis, alii a venis, quidam a nervis, & iterum alii ab omnibus his in unum corpus confusis oriri dicunt. Probabilior mihi videtur sententia corum, qui carneas hafce fibras nervorum esse propagines afferunt. Nam commemorabile est nervum musculi corpus subeuntem vix brevissima via in eo emensa, statim se in ejus interiora abdere, & partim tunica communi omnes fibras medullares investiente relicta, fibras longitudinales musculorum inter se conjungere, partim nostris oculis plane se subducere; arteria e contrario musculum ingressa, iter suum

suum in eo, spatio multo longiori per gente & in plures satis spectabiles ramos, qui sensim sensimque in graciliores atque exiliores diffunduntur, se explicante. Nisi enim nervus, qui musculi penetralia intravit, in numeris ramis dispansus in ejusmodi fibras abiret carneas, non satis caussae erit, cur non ita multo post a suo in musculum introitu tam latebrose a nostro conspectu se occultet, velutque evanescat, vix ullo ejus vestigio in musculi recessibus interioribus relicto & comparente. Neque illud notatu indignum est, quod universæ musculi cujusdam fibræ tepida aliquoties lotæ & prolatæ, rubellum istum quem præ se ferunt colorrem penitus exuant, & albedinem induendo nerveis fibris quam proximæ accedere videantur, quemadmodum id cuivis nullo negotio comperire facillimum erit, dummodo vasa musculi cujuspam aqua eluerit, quo facto ipsi spectatissimum erit, motrices fibras eundem habitum, qui nervorum est referre, ita ut jurares eas mere esse nerveas. Tandem quoque sententiae meæ favere videtur, quod non deprehensurus ullum in musculo fueris punctum, quin satis exquisite sentiat, & motu cieatur. Quodsi enim acutissimo quodam instrumento musculum quemcunque in animali vivo & paulo ante extincto pupugeris, liquido cernes eum statim motu longe citatiore & vehementiore agitari, argumento haud sane levi, carnea ejus stamina ortum potissimum suum debere nervis, musculo immeritis.

§. VII.

Considerata nunc fibræ motricis structura opportunum mihi jam esse videtur disquirere, quoniam fluido

do motus harum fibrarum absolvatur. Cava contine-
re has fibras nemo dubitat. Haud difficile quoque erit
dijudicare, sanguinem, lympham, serum, tubulos illos mi-
nimos ingredi non posse, quoniam omnes dictorum
fluidorum partes oculis nostris microscopio adjutis fa-
cile conspiciantur, orificia vero dictarum fibrarum nul-
lo modo oculis attingantur. Quoniam vero, ut mea
est sententia, fibræ motrices ex nervis suam ducunt ori-
ginem & ut continuum nervi considerari possunt, faci-
le erit perspicere, nullum aliud fluidum easdem con-
tinere posse, nisi illud quod nervi vehunt. Quum vero
fibræ motrices colorem rubrum in corpore humano
præ se ferant, nonnullis verosimile videbitur, rubrum
hunc colorem nonnisi a sanguine quod fibras motri-
ces ingredetur, proficisci; sed hi probe perpendant,
quamvis fibram motricem tela cellulosa, multis vasis
sanguineis praedita circumvolutam esse, quæ materia
rubra repleta, incauto sæpe imponunt contemplatori.

§. VIII.

Tametsi itaque sanguis angustissimis fibrarum
meatibus excludatur, utpote fluidum longe subtilius,
quod per nervorum tubulos continuo accedit, dun-
taxat recipientibus, exploratissimæ tamen veritatis est,
experimentorum & sensuum fide satis testatae, sanguinem
non minus quam nervorum succum ad motum
fibris inducendum esse necessarium, sicuti ex mox ad-
ducendis experimentis liquidius apparebit, tametsi non
negaverim, liquidi nervei partes in hoc motu exsequen-
do fere esse præcipuas. Quomoda vero hoc fluidum
subtilissimum motum excitet in canaliculis istis mini-

B

mis,

mis, hoc loco expedire non facile audeo, ut vero eo
clarior appareat, fluidum nerveum esse præcipuum
motus fibræ muscularis caussam, sequens adducam ex-
perimentum. Nervo ligato, compresso, disciso aut
alio modo læso, statim deprehendes partem istam mu-
sculosam, ad quam hic nervus fertur perdere omnem
sensum & motum, manifesto indicio, omnem sensum
& motum muscularis a nervis accedere. Ligata vero ar-
teria muscularis subeunte, nervo in tacto reliquo, omnis
quoque motus cessat, hoc tamen discriminis interest in-
ter nervi & arteriæ ligaturam, quod statim morus ille
evanescat, simulac nervus ligatur, in arteria vero non
continuo intereat, sed aliquamdiu superstes sensim pe-
dendentimque relanguecens demum conticescat.

§. VIII.

Qua quidem ratione quum nervo ligato confestim
musculi ad motum exsequendum succedat impotentia,
quæ arteria constricta demum aliquando post sequi ob-
servatur, ipsa meridiana luce clarior inde cuicunque ap-
paritum esse existimem, nervorum succum primas
ac præcipias tenere in fibrarum muscularium motibus
exercendis, sanguinem vero secundarum esse partium
in iis administrandis. Quid vero & quantum habeat
momenti ad eum efficiendum, an quoque fibras inter-
agendum in rugas colligat, an vero easdem contractas
retendat? id nec mihi nec ulli alii indubitate designare
est integrum.

§. X.

Explicata nunc muscularum structura, earumque
actione quantum scopo meo præsenti sufficit, ad actiones

nies præternaturales fibrarum muscularium progredi-or. Aperit sese mihi hic campus multarum opinionum; eam vero ex illis eligam, quam rationi maxime con-fertaneam esse arbitror.

§. XI.

Est itaque spasmus contractio fibrarum muscu-larum major, quam opus est ad sanitatem. Quoniam vero quævis fibrarum muscularium contractio, ut plu-ribus supra §. IX. ostensum fuit, ab influxu fluidi ner-vei in fibras musculares dependeat, & effectus suæ cau-sæ sit proportionatus, nemo quoque inficias ibit, spas-mum tanquam majorem harum fibrarum contractio-nem a majori hujus fluidi in fibras musculares influxu dependere. Quicquid ergo hocce fluidum ita determi-nat, ut majori in copia in partes musculosas irruat, id quoque causa erit remota spasm.

§. XII.

Ex pathologia constat, solutionem continui esse plenariam cohaesionis sublationem duorum aut plurium elementorum constituentium continuum quoddam. Hac definitione præmissa eo facilius intelligi poterit de-finitio de irritatione, quæ sequentibus comprehenditur verbis. Est nempe irritatio, major fluidi nervei influ-xus in fibras musculares a solutione continui harum partium oriunda. Qua ratione major fluidi nervei ad-fluxus versus fibras musculares excitetur, a solutione continui fibrarum muscularium nondum in clara luce possum est, etiam si negari non possit, eum semper in solutione continui muscularum adesse. Hoc enim se ita habere, docet experientia. Si enim musculo cuius im-

applicatur instrumentum quoddam acutum, statim vi-debis majorem fieri fluidorum & præcipue fluidi nervi adfluxum, quod ex subsequenti majori actione facile colligitur. Quum itaque quamvis irritationem fibra-rum muscularium sequatur major succi nervosi adfluxus in easdem, & hic determinet majorem actionem §. XI, haec vero dicatur spasmus, quamvis irritationem ut sequatur spasmus necesse est.

§. XIII.

Quum acrimonia sit talis fluidorum mixtio, qua gaudent vi menstrua p. pp. pathol., & vis menstrua sit vis solutionem solidi producere valens p. pp. chem., ne-cessario sequitur, humores acres solutionem continui producere debere; quod si ergo hoc fiat in fibris muscu-laribus, necessaria erit irritatio §. XII, & consequenter spasmus. Experientia hanc propositionem quoque con-firmat. Novimus enim acrimoniam urinæ spasmos vesicæ producere, si mucus in statu naturali eam obdu-cens deficiat. In cardialgia a cruditatibus acido viscidis ventriculi oriunda idem quoque videndum est. Corre-ctis enim cruditatibus his per absorbentia & digestiva, cessat ista irritatio ventriculi & cardiæ, consequenter quoque spasmus cardiæ seu cardialgia.

§. XIV.

Partes arsenicales sunt particulæ acres terrestres, volatiles. p. pp. chem.. Tales vero particulæ quum spas-mum producere possint, si in corpus deferuntur §. præced., patet quoque ratio quare partes arsenicales spasmos producant in corpore nostro. Hanc proposi-tionem itidem confirmat experientia. Nam metallico-læ

iae cum mineris arsenicalibus ut cupreis & saturninis operantes, atrocissimis corripiuntur spasmis, quos morbum saturninum vocare moris est.

§. XV.

Sanguis spissus vasorum obstrukciones producit, p. pp. pathol.; adeoque quum sanguis a tergo obstrukcioneis perpetuo accedat, necessaria est distensio vasis ante punctum obstrukcioneis; consequenter quoniam fibris muscularibus vasa sint intertexta, necessariae erunt distensiones fibrarum muscularium, has vero, quum sine continui solutione existere non possint, excipiet irritatio, consequenter spasmus §. XII. & XI.

§. XVI.

Viscidum quoniam fortiter parietibus vasorum adhaeret, obstrukcioneis ansam præbere potest p. pp. pathol., consequenter etiam spasmis §. præced.

§. XVII.

Principia docent pathologica, orgasmos humorum sequi obstrukciones vasorum; haec vero quum spasmos producere possint §. XV, patet quare hoc morbo laborantibus spasmi nascantur. Et quum sub plethora commota nonnisi intelligatur plethora cum orgasmo connecta, patet quoque ratio, quare plethora commota spasmos producat in corpore. Consentit his quoque experientia. Conf. IVNCKERI therap. special. pag. m. 9.

§. XVIII.

Ponamus excretiones naturales supprimi, tunc fluidum hac ratione non excretum hæredit in vasis excretoriis hanc materiam majori quantitate, adeoque vasa mirum in modum extendentur, consequenter quo-

quenter quoque fibræ musculares quibus hæc vasa intertexta sunt, consequenter oriatur solutio continui in his fibris, consequenter irritatio, consequenter spasmus. Exinde intelligere possumus, cur suppressiones hæmorrhagiæ naturalium, nec non sudoris sufflaminatio-nes spasmi sequantur? Cur opifices in aquis frigidis operantes spasmis adficiantur.

§. XIX.

Quum congestio nonnisi coacervatio fluidi in vasis quibusdam sit, & majorem fluidorum accumulatiō-nem sequatur major vasorum distensio, hæc vero producat majorem fibrarum muscularium distensionem, hanc vero excipiat irritatio, patet quare congestiones spasmos producant. Exinde intelligimus rationem, cur inflatio-nes hepatis & lienis cum spasmis soleant esse connexæ.

§. XX.

Quoniam sub excretionibus exacerbatis intelligantur excretiones tanti gradus, ut corpus inde debilitetur, & harum excretionum causa nonnisi major vasorum distensio esse possit, hæc vero distensio producat fibra-rum muscularium distensionem; adeoque solutionem continui, consequenter irritationem, patet quare excretiones exacerbatae spasmos producant. Exinde intelligimus rationem, quare hæmorrhagias nimias, sudatio-nes excedentes spasmi excipiunt?

§. XXI.

Quoniam compressio est abolitio cavitatis vasorum cu-jusdam, quæ fit a vi externa, parietes vasorum ad axim pel-lente, necessario impeditur transitus fluidi per vasum compressum, consequenter sanguis a tergo urgens di-sten-

stender vasā, hæ vero fibras musculares, adeoque orietur irritatio, consequenter spasmus. Intelligitur inde, cur sartores & qui pro illorum more ad libros sedent litterati pedibus scilicet sibi incumbentibus, spasmos infuris, & deinde etiam podagram facilius aliis concipient.

§. XXII.

Ponamus vasā quædam esse soluta, fibræ ergo horum vasorum quoniam sunt elasticæ retrosilient, diameter ergo vasorum imminuitur, adeoque crassior sanguinis portio per vasā ista transire non poterit, consequenter quiescit; quies vero fluidi in vase dicitur ejusdem stasis, adeoque hæc erit necessaria; quoniam vero sanguis a tergo urget, sequitur distensio vasis, consequenter quoque distensio fibrarum muscularium, consequenter irritatio & spasmus. Exinde clarum est, quare vulneratis & exulceratis partibus spasti superveniant.

§. XXIII.

Cum in ætate proiectiori vasā & fibræ fiant rigidae, obstrunctiones quoque & stases fluidorum huic ætati familiares erunt; hæc vero quum spasmos producere possint §. XIII, etiam ætas proiectior spasmis frequentius, quam alia ætas vexabitur.

§. XXIV.

Et quoniam sexus sequior haemorrhagiis frequentioribus obnoxius sit, & hæc excretiones sanguineæ teste experientia iis frequentissime supprimantur, hæc vero causæ esse possint spasmorum, §. XVIII, patet quoque ratio, quare sexus sequior frequentius spasmos patiatur, quam sexus potior.

§. XXV.

§. XXV.

Explicatis igitur hactenus caussis spasmorum, ad effectus seu ad symptomata hujus morbi progredior. Docent vero observationes, sequentia in iis, quæ hoc morbo vexantur subjectis, comparere symptomata. Conqueruntur ægri 1) de dolore modo pulsatili, modo urente, modo lancinante, modo tendente, modo gravitante. 2) De æstibus volaticis & commotionibus febrilibus. 3) De nimia sensibilitate contra frigus & calorem externe ad corpus admissum 4) excretionibus tandem moderate succedentibus, præcipue transpiratione suborta, spasmos solvi, observantur.

§. XXVI.

Quoniam in omni spasio adest solutio continui fibrarum muscularium §. XII, & haec ex nervis suam ducunt originem, quoque aderit in spasio solutio continui nervosi, haec vero quum sit causa doloris p. pp. pathol. hic quoque in spasio aderit. Cum vero ex hactenus pertractatis constet, spasmorum caussas ratione quantitatis & qualitatis diversas esse, & caussarum diversarum diuersus sit effectus, etiam dolores spastici diversi erunt, ratione quantitatis & qualitatis. Patet igitur ratio diversitatis dolorum n. 1. hist. morb. §. XXV enarratorum.

§. XXVII.

Quum nervi adficiantur in spasmis §. XXV. XXVI, & hi affecti sint admodum sensiles p. exper. patet ratio phænom. n. 3. histor. morb. recensiri.

§. XXVIII.

Anatome nos docet, cutem per cava corporis, nempe anum, os, nasum & reliqua ad interiores partes

&

& præcipue ad viscera penetrare, illarumque tunicam exteriorem efficere, prætereaque huic cuti multas fibras musculares intertextas esse conf. SCHARSCHMID. tab. splanchnolog. p. m. 1. & 3. Patet itaque ut si in viscere quodam magnæ adsint distensiones vasorum, quæ vel ab obstructione, compressione vel constrictione proveniunt, necessario tum distensionem fibra- rum muscularium, ita & spasmus sequi. Quoniam vero hæc cutis est continuum quoddam cum cute peripheriam corporis ambiente, hicce spasmus per perimetrum corporis propagabitur, qui deinde sub spasti- mi peripherici nomine notus est. Quum vero spasmus periphericus sit unum febris requisitum p. pp. pathol. & unum vel alterum febris requisitum dicatur commotio febrilis, patet quoque ratio, quare in spasmis nonnunquam adsint commotiones febriles, si nempe in visceribus, aut in aliâ parte interiori, quæ dicta membrana investitur, oborti fuerint. Quoniam vero commotiones febriles æstibus volatilis soleant esse sti- patae, patet quoque ratio, quare in spasmis æstus volati- ci compareant, si nempe commotiones febriles præ- sto sint.

§ XXIX.

Cum per sudorem & reliquias excretiones natura- les multa fluida corpori subducantur, etiam distensio vasorum imminuerit tali excretione, consequenter quo- que cauſæ istæ cessant per quas spasmus ad actum du- cebatur, consequenter quoque spasmus ipse. Patet ergo ratio cur spasti solvantur, si sudor prorumpat in cor-

C

pore

pore aut aliæ quædam excretiones vel sanguineæ vel serosæ.

§. XXX.

Considerato itaque spasmo pensitatisque ejus caussis & symptomatibus, reliquum nunc esse existimo ejus species hic enumerare eaque paucis tantum definire. Hæ vero ut plurimum sunt

Arthritis vel spasmus cum dolore atrocissimo, qui in partis musculosæ quibusdam punctis circa articulos oboritur: dividitur in vagam & fixam, prior cum loci mutatione est connexa, posterior vero minus.

Chiragra est arthritis manuum.

Malum ischiadicum est arthritis coxarum.

Gonagra est arthritis flexurarum genuum.

Podagra est arthritis pedum.

Rhevmatismus est spasmus cum dolore, qui in partis musculosæ quibusdam punctis, sed non circa articulos oboritur.

Hemicrania est rhevmatismus circa tempora.

Spasmus paracelsi fixus est rhevmatismus circa regionem ossis facri.

Lumbago est rhevmatismus circa musculos lumborum.

Tetanus est spasmus, quo totum corpus ita corripitur, ut in situ recto immotum perfistat.

Catalepsis est spasmus, quo corpus in tali situ persistit, quem ante illius adventum habebat.

Emprosthoronus est spasmus, quo corpus prehensum antrorum incurvatur.

Opisthoronus est spasmus, quo corpus prehensum retrorsum incurvatur.

Spas-

Spasmus cynicus est spasmus oris, quo angulus labiorum unius lateris versus maxillam inferiorem abducitur.

Ritus Sardonicus est spasmus oris, quo anguli labiorum a se invicem vel magis removentur, vel ad se propius adducuntur.

Asthma convulsivum seu spasticum est spasmus muscularum pectoris & laryngis. *Incubus* vero est asthma convulsivum durante somno natum.

Contractura est spasmus tendinum circa articulos.

Convulsio dicitur spasmi in parte quadam musculosa continua reciprocatio. *Epilepsia s. morbus comitialis*, est convulsio universalis. Plura quidem immo ponderosiora de spasmo ejusque speciebus adhuc in medium proferenda fuissent si limites speciminis Academic transgredi voluisse; sed sufficient haec pro minerva tenui & ingenii modulo quae de hac materia protuli, in votis nihil amplius habens, nisi ut benignitas lectorum omnia in benignorem interpretari velit partem.




00 A 6283



SL

Ratko ✓

DIS
PAJ
VOL



26

DISSE^TAT^O IN AVG^RALIS MEDICA

DE
SPASMO IN GENERE

Q V A M
AVSPICE SVMMO NVMINE
ET CONSENSV
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA.

SVB PRAESIDIO
DN.D.HERMANNI PAVLI JVCH

SACRI PALAT. CAES. COMITIS
FACVLTAT. MEDIC. SENIORIS PATHOL ATQVE PRAX PROF. PVBL. ET
ADSESSORIS PRIMARII SERENISS SAXON. DVCVM VINARIENSIS
ET GOTHANI CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATRI
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS.
COLLEGAE

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILE-
GIIS LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

IOHANNES ERNESTVS GRAFF
RENDELIO- WETTERAVIVS.

IN AUDITORIO MAIORI COLLEGII MAI. HOR. CONSVENT.
D. III. MAI. MDCCCLV.

ERFORDIAE,
Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.

